

sub patibulo inhumantur. Et quantum illorum vermibus erit in inferno? Quantus in iudicio cum eorum nuditas, turpitudine et insania toti orbi revelabitur? Sed sero sapiunt Phryges. Sapiant igitur in tempore, ut gaudeant in æternitate.

## CONCIO VII.

## FRUCTUS TIMORIS DOMINI.

I. Est initium sapientiæ. — II. Expellit peccatum. — III. Præservat a peccatis. — IV. Confirmat in gratia. — V. Vincit timorem humanum. — VI. Dat plurima bona.

## THEMA.

*Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum. Matth. IX.*

Libro II. Esdræ, c. IV. legimus, Hebræos postquam redissent e Babylone in terram suam, ante omnia et summo studio ad hoc omnes incubuisse, ut murum Jerosolymæ variis locis interruptum et perfractum repararent, quo nimirum tuti contra insidias hostium forent. Verum Sanaballat, hostis Judæorum, ubi hoc audivit, venit manu armata, ut moliretur ejus insidias, et opus impediret; vidit enim, eos si muris se rursus clauderent, jugum gentium facile excussuros. Verum Hebræi ad cohortationem Nehemiæ fortiter instabant operi, et una manu tenebant gladium, altera ædificabant. Hunc in modum, auditores, si contra hostium nostrorum insidias tuti esse volumus, ante omnia conemur ædificare murum animæ nostræ, qui est timor Domini. Hoc enim si cingamur, nihil est, quod metuamus de salute nostra. At vero quia istud novit noster Sanaballat, id est, *inimicus in abscondito* (hoc enim sonat vox) omnibus modis conatur impedire hoc præsidium, ut sic muro timoris destitutos, in sua continere potestate et pro libitu tractare possit. Verum absit, ut cessemus ab incepto opere; quin potius unusquisque strenue adlaboret, ut hoc se muro claudat. Ita docuit facere filium suum Tobias: *Timere* scilicet *Deum ab infantia*, Tob. I. ita docuit facere S. Bern. abbatem de S. Audomaro, cui in epist. CLXXX. pro salute, *timorem Domini* precatur: idem nobis inculcant passim ss. litteræ, necnon mater nostra Ecclesia et hodiernum denique evangelium. Atque utinam sicut in eo legimus: *Videntes turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum*, ita et nos omnes timeamus, Deumque glorificemus. Quanta vero sint hujus muri commoda, nunc audiemus.

I. *Initium sapientiæ timor Domini*, ait David, Psal. CX. et Salomon, Prov. I. Ecclesiasticus, cap. I. Facit enim primo, ut homo sibi attendat, se colligat et tueatur, veluti obsessi in aliqua civitate, cum advertunt hostem machinari sibi insidias cuniculis aliisque modis, sedulo sibi attendunt, quomodo se tueantur: conferunt sua consilia: colligunt se in arcem, cum se hosti impares vident, etc. ita enim Eccl. c. XXV. ait: *Qui timet Dominum suum, convertetur ad cor suum.* Hanc ob causam dedit Deus legem, et promulgavit in monte Sinai, cum minis et terrore; micabant fulgura, resonabant tonitrua, clangebat buccina, fumabat mons; quo nimirum populus ad legem magis intenderet, tum capiendam tum servandam. Hinc etiam in scholis, ubi erudiuntur pueri ad scientiam; et in domo paterna, ubi ad mores bonos, virga eminentiori loco conspicua cernitur, ad cathedram vel fenestram. Et hanc ob causam Plato tradendæ philosophiæ locum elegit illum, cui *academia* nomen erat (unde altioribus scholis, hæc remansit appellatio) quia frequentibus terræ motibus obnoxius erat, ut ita auditores ejus salutari timore ad sapientiam capessendam componerentur, ut scribit Polybius, de natali Platonis solo.

Facit secundo, ut homo agnoscat, quæ sint res vere magnæ, quæ parvæ; ita ut illas magnificet, has contemnat. Res autem vere magnæ, æternæ sunt, uti beatitudo et gehenna: parvæ sunt res temporales, divitiæ, voluptates, honores. Has tamen stulti mortales magni, illas nihili aestimant. Unde Ecclesiastes, c. X. ait: *Cor sapientis in dextera ejus: cor stulti in sinistra illius*, q. d. sapiunt, qui cor habent intentum ad bona dextra, id est, æterna: desipiunt qui ad sinistra, id est, temporalia. Jam vero timor Domini transfert cor a sinistra parte ad dextram, et facit hominem non fidere aut nimium inhærere fluxis bonis, sed attendere potius ad æterna, et metuere ne pro exiguis et brevi duraturis bonis perdat bona æterna, et incurrat mala æterna.

II. *Timor Domini expellit peccatum*, ait Ecclesiasticus, cap. I. *nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Unde et disponit ad pœnitentiam, et introducit gratiam in hominem. Modum explicat S. August. tract. IX. in epist. S. Joannis primam, per similitudinem setæ et lini, seu aciculæ et fili. Quemadmodum enim seta prius intrat quam linum, acus quam filum cum con-suitur calceus et vestis; et linum aut filum non intraret, nisi præcederet seta vel acus: ita timor præcedit et inducit gratiam et charitatem in hominem. Sunt enim gratia et charitas res tenues et suaves, quæ non penetrant cor durum et

amori carnali assuetum, nisi præcedat timor pœnæ, qui velut acus, pungit et penetrat, atque ita viam aperit gratiæ et charitati, v. g. hudent in platea homines, saltant, pergræcantur, de pœnitentia et salute sua nihil cogitantes: emicat repente fulgur de cælo, sequitur ingens tonitruum cum fulmine terrifico: et mox terrefacti excitantur, silent, cessant a proposito opere, cruce se signant, Deo se commendant, et quandoque discedunt omnibus relictis. Ita cum peccatores Deum obliti prosternunt se in voluptates et vitia, intonat fulminatque Deus modo intentando pestem, modo grandinem, modo bellum, mortem et periculum gehennæ: hinc incipiunt peccatores redire ad cor, veniam exorare, ad pœnitentiam confugere. Exemplo est Jacob patriarcha, Genes. XXXV. qui ob cædem Sichimitarum a filiis suis patratam, metuens incursum et insidias Chananæorum confugit ad Deum et sacrificium, convocataque omni domo sua jussit eos abjicere idola. Huic addamus alius stupendum exemplum, quod refert Jo. Moschus, in prato spir. c. LXXVIII. quod sibi retulisse Joannem abbatem Theopoli in Ægypto asserit, refertque ex ore abbatis Joannis in hæc verba: « Ante modicum temporis venit ad me adolescens quidam, et ait mihi: Amore Dei suscipe me, volo enim pœnitere, etc. » Tum incipit juvenis narrare: « Ego, domine mi abba, plenus omni scelere et nec cælo dignus, nec terra, cum ante hoc biduum audissem, divitis cujusdam ex primariis civitatis hujus filiam virginem esse defunctam et cum multis ac pretiosis vestibus sepultam in uno extra civitatem monumento, ex consuetudine pessimi istius operis abii noctu ad tumulum, ingressusque cæpi expoliare illam. Et cum omnibus jam ipsam exuissem, quibus erat induta, nec camisiæ quidem ipsius parcens, sed eam quoque auferens; nudamque ipsam, ut nata fuerat, relinquens, sepulchro egredi volebam. Nunc illa resedit coram me, sinistramque manum suam extendens apprehendit dexteram meam, et ait ad me: Nequissime hominum, itane decuit te nudare me. An tu non times Deum, neque metuis damnationem ultimæ retributionis? Nonne vel saltem mortuæ misereri debuisti? Sed et Christianus existens ita me nudam assistere Christo honestum fore judicasti, etc. Quo corde, homo, quibus manibus accedens sumis sanctum et pretiosum corpus Domini nostri Jesu Christi? Ego autem ut ista consexi et audivi, pavore et formidine totus comprehensus tremens ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, et istud ultra non faciam. Quæ ait: Profecto non ita erit. Tu enim ut voluisti, huc intrasti; sed non ita ut volueris, hinc egredieris. Nam

sepulchrum istud commune erit ambobus. Neque putes te confestim moriturum, sed cum hic plures dies cruciatus fueris, malam male animam perditus reddes. Ego autem orabam illam cum lacrymis, ut dimitteret me, multum illam per omnipotentem Deum adjurans, me iniquum istud ac nefarium opus ultra non facturum. Tandem post multas preces et lacrymas crebrosque meos singultus, respondens illa dixit mihi: Si vis vivere, et ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solum ab his nefariis et profanis actibus tuis recedes, sed statim perges, et sæculo renuntians efficiaris monachus, agesque pœnitentiam pro his, quæ male gessisti serviens Christo. Ego autem juravi ei, dicens: Per Deum, qui suscepturus est animam meam, non solum quæ dixisti, faciam, sed ab hodierna die non ingrediar in domum meam; sed hinc abiens in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad me: Indue me sicut invenisti prius indutam. Cum vero illam induissem, rursus se collocans, mortua est. Hæc ego (subdit abbas Joannes, quem supra nominavi) cum ab adolescente audissem, refovens eum ac erigens verbis, et provocans ad pœnitentiam et continentiam totondi illum, indutumque monastico habitu inclusi in spelunca in monte, magnifice gratias Deo agentem, certantemque viriliter pro anima sua. »

III. *Per timorem Domini declinat omnis a malo*, inquit Sapiens, Prov. XV. et c. seq. *In timore Domini declinat a malo.* Unde a Chrysostomo comparatur satelliti excubanti ad fores principis, excludenti eos, qui ingredi non debent. « Sicut enim in domo, ait S. Chrysost. hom. XV. ad pop. Antioch. stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talium mala patrantium apparere proprius audebit, sic et metu animas nostras detinente illiberalium nulla perturbatio-num facile nobis subrepat, etc. » S. Basilius, orat. in I. c. lib. Proverb. comparat eum clavem, quibus homo quasi crucifixus pungitur et retinetur, ne extendere queat manus pedesque ad res prohibitas et noxias, juxta orationem Davidis, Psalm. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Eoque alludit S. Job, c. XXXI. ubi reddit rationem, cur pauperes et pupillos opprimere noluerit, etiamsi contra eos causam obtinisset in iudicio: *Semper enim, inquit, quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.* Quem locum Græci verterunt: *Timor Dei continuit me, et captivum ejus non feram*, q. d. timui, ne ab illo caperer et punirer. Hæc denique est herba illa, quæ continet servos Dei, ut in mediis peccandi periculis



illæsi pertranseant, quod quidam pater societatis respondit regi Lusitanæ. Cum enim in ejus aula quidam cœnobita sive serio sive joco sparsisset, patres societatis herbam quamdam circumferre, quæ vim haberet perimendi libidines, eaque velut antidoto tuto posse versari inter mulieres gynæcei, earumque confessiones excipere: pervenit tandem fama ad aures regis qui statim immisit Joannem de Cuniga ad patres seiscitatum, quod herbæ genus illud esset. « Fecit imperata Joannes expositisque Philippi mandatis ab Araosio contendit, ut rem sibi totam, quam mox ad principem exponeret, declararet. Hæsit hic paulisper Araosius, et rem totam indicatarum se esse respondit, modo is eam principi quemadmodum ab se acciperet, accurate fideliterque referret. Cum ille se reciperet facturum: Verissimum, inquit Araosius, est, quod de hujus nostre herbæ potestate narratur, tantarum quippe virium est, ut non modo ad frangendas cupiditates libidinesque sit usui, verum etiam tutum quoddam ad continendam linguam, et conterendam animi elationem, et omnia vitia persananda præsidium: eademque multas facultates et proprietates complectitur, ut equidem valde velim, et principi et toti curiæ notam ac familiarem. Porro nemo nescit varias a Deo virtutes inditas herbis quarum beneficio solus is potiat, qui cognitis et inventis utatur. Acuerunt hæc cupiditatem Joannis, qui ut sine mora sibi nomen ederet tam salutaris herbæ, nec se diutius prope rantem ad principem cunctaretur, ac suspensum haberet, acrius institit. Cui Araosius: Hæc, inquit herba patrio nostro Castellanae sermone, Timor Domini nuncupatur: is eas omnes, quas enumeravi, virtutes et multo plures continet; eoque quotquot de societate sumus frequenter utimur, ejus præsidio innoxii in mediis flammis: eo instructis ac bene munitis ubique gentium nobiscum bene agitur, » Dauroit. in catech. hist. c. II. t. IV. ex annal. soc. anno 1543.

IV. Firmamentum est Dominus timentibus eum, ait David, Ps. XXIV. q. d. Deus confirmat illos in gratia, qui semper eum timent. Quemadmodum enim pondus impositum columnæ, firmat eam: ita timor Dei cordi humano semper incumbens consolidat eam in bono, et facit perseverare. Unde S. Greg. I. V. moral. c. VII. ait: *Anchora cordis est pondus timoris*: et S. Hier. ad Fabium, l. de XLII. mansion. *Timor, inquit, virtutum custos est*: et Tertull. l. de cultu fem. c. II. *Timor fundamentum est salutis, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus*. Tantum igitur abest, hic timor anxios nos et scrupulosos faciat (uti contendunt hæretici) ut potius confirmet, et certio-

res de salute faciat: quia sicut spes, ita etiam timor medium est a Deo ad salutem ordinatum, et ut ait S. Bernardus, serm. XIII. in Psalm. Qui habitat: *Timor, spei maxima est materia, quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem*. Hinc plerique lapsi, ex nimia securitate et præsumptione lapsi sunt, quod nimium sibi tribuerent aut confiderent, qui si cum metu et tremore salutem suam operati fuissent nunquam cecidissent. Quemadmodum enim ignis in carbonibus, nisi cinere tegatur, brevi extingui solet, sub cinere fovetur: ita sanctitas et justitia absque Dei timore cito evanescit, cum illo conservatur.

V. Qui timet Dominum, nihil trepidabit et non pavebit, quoniam ipse spes ejus, ait Ecclesiasticus, c. XXXIV. Quemadmodum enim virga Mosis devoravit virgas magorum: ita timor Dei vincit, et quodammodo devorat timorem humanum. Quis vero explicare queat, quam multa mala pariat, et quam multa bona impediatur timor ille humanus? Mentiri docet, ut famam conserves vel nummos augeas; adulari docet, correctionem fraternam impedit; ultionem provocat; vitia consueta fovet, etc. At vero timor Dei ubi locum habet, ibi omnia hæc exulant. Non enim metuit confundi coram hominibus, qui timet confundi coram Deo et angelis: non timet spoliari bonis terrenis, qui timet spoliari bonis celestibus: non metuit damnari ad mortem, qui metuit damnari ad gehennam. Eaque causa est, cur ss. martyres mortem et confusionem temporalem tam læto exeeperint animo, quia timor gehennæ et confusionis æternæ non sinebat eos attendere ad mortem et confusionem momentaneam ac levem.

VI. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiæ et gaudium, ait Ecclesiasticus, c. I. Quid enim non dat timor? Dat bona temporalia, Psal. XXXIII. *Non est inopia timentibus eum*: et Tob. IV. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*. Dat spem vitæ æternæ, quia quo magis Deum timeamus, eo magis ei adheremus. Unde Eccl. c. I. ait: *Timor Domini gloria et lætitiæ et gloriatio et corona exultationis*. Dat consolationem in articulo mortis. Unde ibidem subdit Ecclesiasticus: *Timentibus Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur*. Dat denique multam sobolem, temporalem prosperitatem et vitam æternam, uti patet vel in obstetricibus illis Ægyptiacis, quibus, cum timerent Deum, et nolent occidere infantes Judæorum, prout facere jussæ erant, ædificavit Deus domos, partim videlicet in terra, per numerosam prolem, partim etiam in cœlo, Exod. I.

Hinc videre est, non frustra conari dæmonem

murum hunc timoris dissipare et evertere. Novit enim ipse, quantum boni afferat timor, quantum mali prava securitas. Experti sunt incolæ civitatis Lais, Judic. XVIII. quem cum vidissent exploratores, Danitarum in magna quiete ac securitate vitam agere reversi ad suos dixerunt: *Surgite, ascendamus ad eos: videmus terram valde opulentam et uberem, nolite negligere: eamus et possideamus eam: nullus erit labor, intrabimus ad securos*. Tribus igitur Dan, quia quærebat sibi possessionem ad inhabitandum (sola enim ipsa sortem non acceperat), satis amplam videlicet et idoneam, in terra promissa hanc occasionem sibi negligendam non reputabat: *Venerunt igitur (Danitæ) in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eum in ore gladii, præsidium*. Dan *serpens et cerastes in semita* appellatur a Jacob, Gen. XLIX. in quo diaboli typus est. Hic possessionem sibi que parum idoneam habet, (ut quem Christum alligavit et certis terminis constrinxit) quærit ampliorem ac commodiorem. Ubi vero locorum eam reperit? Ubi timor Dei abest, pax vero et securitas adest. Ibi enim facile occupat hominum animos, muro timoris destitutos, ne moque est, qui præsidium ferat. Unde apost. I. Thess. V. ait de hominibus postremo tempore victuris: *Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. Nos ergo, auditores, ne quid simile nobis contingat, extruamus murum nobis in tempore, timorem Domini scilicet et ne ad unum quidem diem carere eo velimus: ne repente et improvise obruat nos cerastes ille tartareus.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

- I. Christus: 1. Reliquit Gerasenos in suis tenebris.
2. Divertit in domum humilem.
3. Paralyticum appellat filium.
4. Confidere jubet.
5. Remittit ei peccata.
- II. Paralyticus: 1. Portatur in lecto.
2. Surgit et tollit lectum suum.
3. Abit in domum suam.
- III. Gestatores: 1. Docent sedulo ministrare ægrotis.
2. Quantum bonum sit societas bona.
3. Impedimenta omnia perrumpenda cum ad Christum accedendum.
- IV. Scribæ: 1. Abhorrent a blasphemis.
2. Calumniantur Christum.
- V. Turbæ: 1. Ægro ingressum negant, sanato egressum concedunt.
2. Timent et glorificant Deum.

## THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus. Matth. IX.

Multa hominum turbæ interesse debuit huic

spectaculo; si quidem, Luca teste, paralyticus hic qui per ostium domus inferri ad Christum præ turba non potuit, per tectum illatus est: nec immerito; magna enim et mira quædam comœdia exhibita in hac domo est. Nos ergo, auditores, intrudamus et immisceamus nos huic turbæ, seduloque consideremus hujus comœdiæ personas singulas.

I. Persona prima Christus est, qui, primo postquam Geraseni eum rogassent ut a se recederent (quod ipsius permissu porci a dæmonibus arrepti in mari periissent), rediit per mare in civitatem suam, ubi eum populus avidè expectabat et reliquit in suis tenebris Gerasenos. Videte ergo Dei justitiam et nolite repellere ejus gratiam, fidem et evangelium. Hinc enim recessit a Judæis tempore apostolorum, quia repulerunt evangelium, Act. XIII. et migravit ad gentiles: hinc tempore Lutheri et Calvinii, quia principes et populi Germanorum aliqui fidei catholicæ jugum excusserunt, inscendit navim et migravit in Japoniam, Indiam, Chinam, Americam. Timendum ergo illi populo, qui suillis vivit moribus, indeque verbum Dei spernit, ne similem eventum sortiatur.

Secundo, divertit in domum humilem et pauperem, quod inde patet, quia per tegulas intromissus est paralyticus: sublimiores autem Judæorum domus non erant imbricibus tegulisque contactæ, sed solaria habebant pavimento constrata. Hinc ergo patet quo divertat Dominus, ad humiles scilicet.

Tertio, paralyticum etsi peccatorem filium appellat: *Confide fili*. Vide Christi humanitatem et suavissimum amorem, quo omnes complecti studuit, neminem aspernatus est; unde et alibi dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, etc.* Quam hic erubescere deberent multi heri, qui famulos suos non nisi nebulones, furciferos, stultos norunt appellare, cum Dominus cœli et terræ infimum servulum suum non dedignetur appellare filium! Ad hæc ut magis eum soleatur et erigat ad fiduciam: *Remittuntur, inquit, (non remittentur), tibi peccata tua*. Tam bonus enim et suavis est Dominus, ut afflictum diu non suspendat sed confestim sublevet, quantum est in ipso.

Quarto: *Confide, inquit*. Vult ergo in ipsum firmiter speremus, etiam cum omnibus rebus et auxiliis destituti sumus, quemadmodum hic paralyticus, qui nec manum nec pedem poterat movere; imo tunc nos *confidere*, id est, firmiter sperare vult. Hac fiducia armatus S. Joannes eleemosynarius dicebat: *Etiamsi totus mundus conflueret Alexandriam eleemosynæ causa, eam omnibus darem; quia totus mundus non potest argus-*



tiare thesauros Dei quorum ipse me dispensatorem constituit: quare Deus ei stannum in argentum vertit et tanto plus subministravit, quanto ille plus erogavit, Leontius, in vita. Eadem roboratus Theodorus monachus aiebat: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat*, in vitis pp. libro V. c. VII. Porro hanc fiduciam maxime habere Christiani debent, quia filii Dei, uti S. Catharina Sennensis moriens extremum monuit: *Oportet, inquit, Christianum magnam fiduciam habere de Dei providentia, scientem omnia quæ sibi vel aliis eveniunt, ex divina providentia provenire, non ex odio illius, sed dilectione eximia.*

Quinto: *Remittuntur tibi peccata tua*, ait; docens ægritudines corporales sæpe gigni ab ægritudine animi seu peccato. Unde boni chirurgi instar radicem mali aggredi et primo extirpare voluit, ut perfecta sanitas, etiam corporis, consequeretur. Ergo peccata nostra germinant nobis virgas et flagella, quibus castigamur, uti etiam legimus, Ezech. VII. *Iniquitas surrexit in virga impietatis*, quasi dicat: Judæorum scelera protulerunt gladium Nabuchodonosoris, quo plecterentur. Hujusmodi flagellum orbis erant Attila, Tamerlanus, alii et universim pene omnes adversitates. Ergo cum has sentimus, extirpemus primo radicem earum, peccata: sanemus prius morbos animi, ut recipiamus sanitatem corporis: cœlestem quæramus medicum imprimis, postea terrenum. Sed fere contrarium ubique fit: corpori medela maximis impensis quæritur; animæ cura in postremis habetur, unde multi canum instar, extinguuntur sine pœnitentia, etc.

II. Persona altera est paralyticus; primo, portabatur in lecto omni membrorum usu destitutus; unde docet nos quantum bonum sit sanitas et membrorum integritas. Hoc enim si minus agnoscimus inde fit, quia experti non sumus, quid sit esse paralyticum, podagricum, hydropticum, cæcum, leprosum, ulceribus plenum. Interroga eos qui his malis affecti sunt, et audies.

Secundo, ad Christi vocem surrexit, sustulit lectum suum et ambulavit, eaque redocet nos tria signa, e quibus agnoscere licet dimissa nobis esse peccata, ut ostendit S. Bernard. ser. de quatuor grandi modis, cum ait: « Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum: si grabbatum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus; sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud et ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea, quæ ante sunt, te extendens desiderio et proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. » Ex hisce autem signis oritur in nobis certitudo conjecturalis sani-

tatis seu justitiæ nostræ, quæ sufficere nobis debet, nec major quærenda est. Vult enim Deus nos versari inter spem et metum, ut sine intermissione salutem nostram operemur.

Tertio, abiit in domum suam, juxta Christi præceptum; docens nos curare non quæ aliena sunt, sed quæ nostra: abiit in alienam domum, qui aliorum acta rimatur et taxat, sua vero negligit. Deut. XXIV. præcepit Deus, ut qui debitum a proximo suo repetit, non ingrederetur domum ejus, sed foris stans expectaret; ne quis domos alienas rimaretur et res non suas alteri inferret. Hoc autem facit, qui se neglecto alios judicat, vel reprehendit: *Vade in domum tuam*, ait Dominus.

Rursum, abeundum esse in domum nostram, quæ est sepulcrum et mansio nostra æterna. Eo enim ablegavit aliquando B. Jacoponus divitem Tudertinum, dum par pullorum, quos sibi coemptos deferre in domum suam Jacoponum jusserat, intulit ejus monumento, quod sibi dives pararat in æde S. Fortunati, (ut alibi retulimus), monens divitem, ibi esse domum ejus, eo commeatum et bonorum operum thesaurum omnem inferendum. Ita enim testatur Job, cap. XXX. dicens: *Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.*

III. Cernimus vectores, qui paralyticum portabant. Et hi docent primo, sedulo et libenter ministrare ægrotis eorumque curam gerere. Ecce enim quanta festinatione, solertia, patientia et constantia deferunt ægrum ad Christum? Non expectant, donec turba recedat et facilis sit accessus: non resiliunt a cœpto opere propter objecta impedimenta: non deserunt paralyticum, sed omnia media tentant, ut si per ostium nequeant, per tegulas ingrediantur. Denique, hi vectores, teste S. Marco, quatuor erant. Sed ubi modo illi, qui tanta charitate et alacritate serviunt infirmis? Vix unum sæpe reperias, qui hoc munus subire velit, nedum quatuor. Hinc mira illorum charitas bene a Matthæo et Luca notatur voce: *Ecce viri portantes in lecto hominem*, ait Lucas, q. d. videte rarum et mirum charitatis exemplum. Ubi vero illi quia animas purgantes suis portant suffragiis ad conspectum Dei.

Cæterum exempla aliquot sanctorum, qui ægrotis impense servierunt, recenset pater Cornelius, in Isaia c. XXXVIII. more suo succincte, quæ hic adscribam. « Gallicanus martyr, vir consularis, triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, a SS. Joanne et Paulo ad Christi fidem conversus, cum S. Hilarino ad ostia Tiberina secedens, hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit: cujus rei fama in

universo orbe divulgata, multi undique illuc venientes videbant virum ex patritio et consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus offundentem, languentibus sollicitè ministrantem et cætera pietatis officia exhibentem; hisque actibus meruit martyrium, ad illudque se disposuit. » Martyrio enim a Juliano apostata affectus est, ita Baron. in martyrolog. 25. junii ex Usuardo et Adone. Quidam Apollonius nomine, cum mundo renuntiasset, et montem Nitriæ habitasset, et nec artem discere posset, nec litteras, quod ætate esset proventus; viginti annis, quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem. Suis pecuniis et suis laboribus emens Alexandria vasa medica omnis generis, universæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos: et licebat eum videre usque ad horam nonam discurrentem obeundo monasteria, et ostia ingredientem, et videntem num quis decumberet. Portabat autem uvam passam, mala punica, ova, panem siligineum et ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem invenit vitæ rationem usque ad senium Christi servus, ita Palladius, in hist. Lausiaca, c. IV. et Nicephor. l. XI. cap. XXXV.

« Placilla, Theodosii imp. uxor, miram ægrorum et mutilatorum curam gerebat, eisque mira charitate inserviebat. In illorum enim domicilia ventitabat, et qua quisque indigeret re, eam illi suppeditabat: et Ecclesiarum hospitales domos circumiens, eos qui gravibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantum illorum attingebat ollas et jusecula delibabat; sed et patellas admovebat, panem apponebat, ciborum frusta auferebat, pocula eluebat, aliaque omnia sedulo et alacriter obibat, quæ servorum et ancillarum sunt officia. Ad eos vero qui ministerium ejus, quod per manus ipsas suas peragebat, inhibere conabantur, dicere solita erat: Imperio quidem convenit, ut aurum id largiatur; ego vero manuum mearum opus pro imperio ipso, ei quid id semel contulit, offero, » ita Niceph. lib. XII. cap. XLII. et Joann. Nauclerus, tom. II. generat. XIII.

« S. Radegundis regina Franciæ hanc sibi fixerat legem, ut omni dominico die pauperibus collectis ipsa manu sua potum porrigeret. Cum leprosi venientes signo facto se proderent, osculabatur vultus. Deinde, mensa posita, ferens aquam calidam facies lavabat, manus ungens et ulcera, et rursus administrabat ipsa, pascens per singulas. Recedentibus præbebat auri, vel vestimenti munuscula. Cum ministra diceret: Domina, quis te osculabitur, quæ ita leprosos amplecteris, illa respondit benevole: « Vere si me non osculeris, hinc mihi cura nulla est, » inquit Fortunatus, in vita ejus, lib. I. c. IX.

Quanta cura et benevolentia Eustochius serviebat S. Paulæ matri ægrotanti, enarrat S. Hieron. in epitaphio Paulæ. Similia de S. Maria Oignia censi refert cardin. Jacobus de Vitriaco, lib. II. vitæ ejus, c. III. de S. Catharina Sennensi Raymondus, in ejus vita.

S. Bernardini præ aliis sanctis eluxit hac in re ardor, nam cum anno Domini 1400. qui erat jubilæus, Senis ingens lues grassaretur, cum fœtorum horribili et morte plurimorum. ipse duodecim adolescentibus ignita oratione persuasit, ut iis, se duce, totos impenderent; quod et præstiterunt ipso præeunte officiosissime, in ejus vita die 20. maii, apud Surium.

Secundo, quantum bonum sit societas bona. Etenim visa portitorum fide et charitate Dominus impertit sanitatem paralytico. Ergo nostra merita possunt etiam aliis prodesse, in quorum salutem diriguntur. Ergo utile est peccatoribus versari inter bonos; quod experti illi, qui cum S. Paulo navigarunt, Act. XXVII. numero 276. qui omnes Paulo donati et in ejus gratiam servati sunt, alias mergendi vel ob suam inobedientiam: expertus Putiphar gentilis, cujus domui benedixit Dominus propter Joseph servum ejus, Gen. XXXIX. expertus Laban et ipse gentilis, cujus substantiam multiplicavit Deus propter Jacob servum, Gen. XXX. experti Sodomitæ, qui non periissent, si vel decem justos, imo ausim dicere, si vel unum Loth justum secum perstantem habuissent, Gen. XVIII. et XIX.

Patet etiam quam salutaris sit sanctorum interventus: hi enim partim exemplis, partim precibus suis deferunt ad Deum alios; quemadmodum et ss. angeli animas nostras, uti legimus de Lazaro mendico: *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ*, Luc. XVI.

Tertio, impedimenta omnia perrumpenda, cum ad Christum accedimus; siquidem et hi vectores tectum perfrugerunt, ut ægrum Christo sisterent. Itaque servituri Deo virili animo superent, quæ sibi occurrent obstacula, ad instar Zachæi, qui auditis obtrektoribus sese opposuit et heroicum virtutis actum exeruit, dicens: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, q. d. quidquid sit de priorè vita, esto peccator fuerim, ut hi dicunt, non ero tamen deinceps, etc. Ut enim flante vento magis se opponit et accendit ignis: *Veram fidem impedimenta non retrahunt, sed accendant*, ait S. Bonavent. Luc. V.

IV. Cernimus Scribas et advertimus primo, abhorre a blasphemis. Cum enim existimarent blasphemare Christum, territi dicebant: *Hic blasphematur*, q. d. quæ hujus audacia et impietas!